

1329-1329- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud CistaricuM Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis apud CistaricuM celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · XXIX° ·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: omnibus fratribus ad conventum illum pertinentibus etc., deleatur: si commode fieri potest, et dicatur sic: convocatis, si infra unam diem possit ad eos nuncius pervenire. Et hoc idem in electione priorum conventionalium et tractatu eorum, que mittenda sunt ad provinciale capitulum, observetur.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali circa principium, ubi dicitur: quos instituendi nullus vicarius eciam cum diffinitoribus habeat potestatem, addatur sic: quos eciam absolvere nullus possit, nisi solum capitulum generale.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: omnia diffinient et tractabunt cum provinciali, addatur sic: vel eius vicario; quod si plures vicarii fuerint, a quibuscumque sint legitime instituti, ille ad diffinicionem admittatur, quem maior pars diffinitorum duxerit eligendum.

Item hanc: quod fiat festum trium lectionum · xi · millium virginum, et magister ordinis curet interim de officio providere.

Item. Quod de angelis fiat memoria per octavas s. Michaelis in laudibus per antiphonam: Angeli et archangeli, per versiculum etc.: In conspectu angelorum psallam tibi etc. In vesperis vero per antiphonam: Laudemus dominum etc., per versiculum: Angelis suis etc. Et hoc in locis suis in ordinario annotetur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur sic: vel carceri sentencialiter et legitime fuerit mancipatus. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In capitulo de electione prioris provincialis in fine, ubi dicitur: si vero in provincialatu decesserint, deleatur totum, quod sequitur usque in finem, et dicatur sic: si vero in provincialatu decesserint, libri et alia, que habuerunt per provisionem ordinis, a provincia vel conventu aliquo, antequam essent provinciales vel in ipso provincialatus officio, ad provinciam vel conventum simpliciter pertinebunt; alia vero omnia, que habuerunt, sint illorum conventuum, de quibus fuerunt assumpti. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: maioris partis eorum consilio et assensu, deleatur totum, quod sequitur usque ibi: et in aliis illi, ad quos mittuntur, et dicatur sic: si vero aliquem missorum studencium infra sex menses a tempore celebrati capituli mori vel legitime impediri contigerit, prior provincialis possit loco illius alium subrogare. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: quod fiat memoria de beato Thoma de Aquino per octavas in laudibus per antiphonam: O Thoma laus et gloria, in vesperis per antiphonam: Collaudetur Christus etc., cum versiculis de communi. Et hec habet duo capitula. Et hoc in locis suis in ordinario adnotetur et medio tempore observetur.

Iste sunt moniciones et ordinaciones.

Cum sanctissimus pater et dominus noster summus pontifex generali capitulo nuper apud CistaricuM celebrato literas exhortatorias miserit et plurimum graciosas, tenorem ipsarum literarum mittit magister ordinis loco sue litere per totum ordinem in actis capituli generalis insertum. Volumus autem et ordinamus, quod pro bono ac tranquillo statu sancte et universalis ecclesie fiat singulis diebus in conventu quolibet in missis conventionalibus oracio, quam dominus noster sub bulla sua ordinavit; pro qua oracione dicenda viginti dies de indulgencia pro qualibet vice dedit, scilicet immediate terminato pater noster, prostratis fratribus super formas, dicatur psalmus: letatus sum etc., postea sequatur: kyrie eleison, Christe eleison, pater noster etc. Quo finito sacerdos, qui dicit missam, dicat: et ne nos etc. et conventus respondeat: sed libera nos a malo etc., et sacerdos subiungat versum: domine salvos fac reges; et chorus respondeat; et exaudi nos etc. Item versus: salvum fac populum tuum, domine, etc. Item versus: fiat pax in virtute tua etc. Item versus: domine exaudi oracionem meam; et subiungat sacerdos: dominus vobiscum etc. cum oracionibus: ecclesie tue etc., item: hostium nostrorum, quesumus, domine, elide superbiam eorumque contumaciam dextere tue virtute prosterne per Christum dominum nostrum etc.

Item. Cum doctrina sancti Thome toti mundo sit utilis et ordini honorabilis, volumus et ordinamus, quod omnes studentes theologie in dicta doctrina studeant diligenter; lectores autem et cursores ipsam doctrinam in suis lectionibus et disputacionibus pertractent singulariter et declarant et conclusiones eiusdem doctoris finaliter teneant, et si contra ipsius doctrinam raciones adducant, illas teneantur solvere, et quantum poterunt, contrarias efficaciter annullare. Quicumque autem contrarium inventus fuerit attentasse, per priores provinciales vel eorum vicarios privetur officio lectorie.

Item. Volumus et ordinamus, quod si aliquis per literas magistri ordinis cuicunque studio generali fuerit assignatus, nisi infra annum a recepcione literarum usus fuerit gratia sibi facta, iter ad studium arripiendo, ipso facto sit privatus gratia supradicta. Rogamus autem magistrum ordinis, quod postquam studentes terminum suum expleverint in studio generali, non faciat eis graciam de alio studio generali, Parisiensi duntaxat excepto.

Item. Volumus et ordinamus, quod quandocumque plures fratres literas suis superioribus mittunt, omnes mittentes nomina sua conscribant vel subscribant, et literas illas ad perfectum intellectum legant. Quod si securum factum fuerit, nomina sua non scribentes vel subscribentes, ad duos annos sint omni voce privati, cui pene talem literam scribens vel procurans eciam sit subiectus.

Adhuc cum de excessivis expensis provincialium vicariorum et visitatorum et famulorum eorumdem ad nos graves querimonie sint delate, inhibemus districte, ne a conventibus, quos visitant, aliquid recipient, nisi moderatas expensas, super quo eorum conscientias oneramus.

Item. Cum fide digna relacione accepimus plures fratres provinciis Grecie, Terre sancte et societati peregrinancium per penam assignatos, utpote contra intentionem magistri ac tenorem literarum magistri ordinis, omnes fratres sic assignatos a dictis locis revocamus et volumus eos ad suas provincias et conventus, a quibus amoti fuerunt, simpliciter pertinere.

Letania more solito dicatur.

Inhibet magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis prior provincialis vel conventualis porrigat vel porrigi faciat aliquam supplicationem domino nostro summo pontifici vel alicui domino cardinali super aliquibus pertinentibus ad ordinem seu ad aliquam provinciam in communi sine expresso consensu magistri ordinis vel procuratoris licencia speciali.

Ista sunt precepta.

Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis frater, cuiuscumque condicionis vel status existat, ad Romanam curiam presumat accedere nec de suo conventu iter assumat cum intentione ad dictam curiam accedendi sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali et expressa. Quicumque vero contrarium fecerit preter transgressionem precepti voce et omnibus aliis gracis ordinis sit privatus. Concedit tamen magister ordinis omnibus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire vel mittere valeant duos fratres.

Item. Precipit magister ordinis, quod quilibet prior provincialis teneatur pro provincia sua mittere procuratori ordinis tres florenos de auro, usque ad festum resurrectionis immediate futurum.

Item. Significat magister ordinis, quod preceptum datum in generali capitulo Tholosano de non procurando sibi vel alteri fratri studium Parisiense per aliquam personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam in suo robore perseveret¹.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Terre sancte et ponimus in ea vicarium generalem fratrem Petrum de Castris de eadem provincia, donec prior electus et confirmatus et presens fuerit in eadem.

Item. Grecie et ponimus in ea vicarium generalem fratrem Leonardum Pergamensem de eadem provincia, donec prior provincialis electus et confirmatus presens fuerit in eadem.

Item. conventuales: Alestensem, Podii Cerdani, Carpentoractensem, Grassensem, Coquilibrensem, Marsiliensem. Et isti non resumantur ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus isto anno.

Iste sunt penitencie.

Absolvimus in penam supriores Massiliensem, Alestensem, Barchilonensem, eo quod in eorum conventibus in die tractatus non sine eorum culpa notabili non fuit de eligendo socio concordatum.

Item. Omnibus fratribus de predictis tribus conventibus ad tractatum pertinentibus pro eadem culpa iniungimus quatuor dies in pane et aqua indispensabiliter; quam penitenciam infra mensem ab horum noticia perficere teneantur; quam si non fecerint, ipso facto sint omni voce privati.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno de voluntate domini nostri summi pontificis fratrem Arnaldum de Sancto Michaele de provincia Tholosana², et post ipsum immediate ad legendum sentencias ibidem secundum cursum exterioribus debitum de voluntate eiusdem domini assignamus fratrem Lupum Alphonsi³ de provincia Yspanie, quam assignacionem ipse dominus noster mandavit firmiter observari.

Item. In anno immediate sequenti, quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias Parisius fratrem Durandum de Auriliaco⁴.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalariis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicium approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus apud Coloniam in provincia Theutonie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant. Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capitulo ante sextam feriam festum pentecostes immediate precedentem. Quicumque autem ad capitulum sine licencia venerit vel loco capitulo appropinquaverit cum intentione ad capitulum veniendi, sit ipso facto per triennium omni voce privatus.

Ista sunt suffragia pro vivis.

¹ Cf. supra pag. 181 l. 26 sqq.

² De fr. Arnaldo de S. Michaele cf. DENIFLE l. pag.330.

³ De fr. Lupo cf. supra pag. 168 l. 28.

⁴ De fr. Durando cf. DENIFLE l.c. pag. 330.

Pro sanctissimo patre nostro domino summo pontifice quilibet sacerdos sex missas.

Summa missarum pro vivis · xlix ·; pro defunctis · x ·

Actis additae sunt litterae Ioannis XXII; cf. BO. tom. II p. 181 n. LXVI.